



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

14. Arminio Dvce.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

longius ætatem processisse, ex Vellejo colligitur: *Mediam ingressus Germaniam, jurisdictionibus agendæque pro tribunali ordine, trahebat æstiva*. Diem denique cladis tam memorabilis, quem Augustus *mæstum ac lugubrem quot annis habuit*, IV. Non. Sextil. quo malè ad Cannas pugnatum est, qui Beroaldum sequuntur, assignant, eò, quod Florus. lib. 4. cap. 12. scribat. *Varus res perditas eodem, quo Cannensem diem Paulus, & fato est & animo secutus*. Putarunt enim sensum horum verborum esse, Varus eo die perijt, quo Paulus Cannensi prælio. Verùm, ut Casaubonus in Suct. de Aug. c. 23. animadvertit, diem pro clade eleganter Florus usurpavit. Quare frustra dies quaeritur, quem veteres historici quasi ex compacto filuerunt.

14. ARMINIO DVCE. Flor. l. 4. c. 12. *Duce Arminio ardua corripuit*. Strabo. lib. 7. *Arminij, qui belli dux fuerat Cheruscis, cum violatis pactis Varum Quinctilium invaderent*. Tacit. 2. An. *Vis nationum, virtus ducum in æquo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat, desertus tamen ab Ingvimero fuit, non aliam ob causam, quàm quia fratris filio juveni patrus senex parère dedignabatur*. Tacit. 2. Annal. Dux igitur Arminius gentis suæ, & sociorum ejus fuit, omnibus hujus muneris partibus egregiè functus, imò & militis, qui *manu, voce, vulnere sustentabat pignam*.

15. A CHERVSCIS. Inter Germaniæ populos, à quibus Variana strages edita, eminuere Cherusci, validissima tum notio, à Cæsare. lib. 6. Vellejo. lib. 2. Tacito. l. 1. 2. 11. 12. 13. Annal. & de morib. Germ. Floro. l. 4. c. 12. Dione. l. 54. 55. 56. descripta celebratæque. Non omnes inter Albim & Visurgim, ubi vera & præcipua sedes eorum fuit, & sylvæ *Bacenis* pro nativo muro objecta, Cheruscis à Suevis, Sue-

E

vósque